



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

Illustrissimo Ecclesiae Principi Joanni De Montpezat De Carbon  
Archiepiscopo Bituricensi. Cum Nicephorus tragoedia eidem à collegii  
alumnis dicaretur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

ILLUSTRISSIMO ECCLESIAE PRINCIPI  
 JOANNI DE MONTPEZAT  
 DE CARBON  
 ARCHIEPISCOPO BITURICENSI.

*Cum Nicephorus tragædia eidem à collegii alumnis  
 dicaretur.*

**P**ONE modum curis, paulumque abrumpe laborem,  
 Qui grege te caro super & custodibus ipsis  
 Exercet, cunctos vigilantem avertere casus.  
 Musarum festiva parat certamina pubes  
 Muneribus decorata tuis: oculisque vicissim  
 Servire, atque animis pia per spectacula tendit.  
 Maternis non hîc umbris agitur Orestes  
 Feralem tristi funestat imagine scenam;  
 Non Medea viri crimen majoribus ulta  
 Criminibus; non Oedipodes per fata parentis  
 Ductus ad incestum; non prolis sanguine potus  
 Tantalides; non Alcidæ labor ultimus, ignis  
 Quem meruit. Casto meliora exempla theatro  
 Te spectante decet mites proponere Musas.  
 Si faciunt ludos, ludi sunt præfule digni,  
 Christiadumque oculis. Dat sacræ nobile scenæ  
 Argumentum, ipso præfert qui nomine palmas  
 Supposta heu! misero Nicephorus hostia quondam  
 Saprício. Non illo alius contemnere dulces  
 Vitæ blanditias, ferroque opponere corpus  
 Fortior, & letum pro relligione pacisci.  
 Illius & lacrymas, cum duri pectus amici  
 Mollire, antiquamque fidem revocare precando

L iij

Incaſſum inſtituet, populus mirabitur omnis.  
 Fors & erit, quondam ut juvenes creſcentibus annis  
 Æmula ſuccendat virtus, mortisque decoræ  
 Ambitio: & quem nunc imitando effingere gaudent,  
 Illum æquare velint, ſimilesque referre triumphos.  
 Interea mores, etiam cum ludimus, æquum eſt  
 Informare pios; magniſque ad fortia facta  
 Ducere imaginibus, Chriſtisque accendere amorem.

Sed quid opus tandem veteres evolvere faſtos,  
 Et peregrina ſequi veſtigia? propria virtus  
 Carbonum eſt pietas, veſtræque domeſtica genti:  
 Unde petant morem, quos famæ haud vana cupido  
 Sollicitat. Nam ſeu patriam defendere certant,  
 Seu caſtos ritus, Romanaque ſacra tueri,  
 Vel pacis tractare artes; domus omnibus una  
 Sufficit. Illa viros pariter fortesque, pioſque,  
 Quos miremur, habet. Morinorum moenia teſtor,  
 Albanasque arces: ubi quondam ſanguine fuſo  
 Juratam magni heroes regique, Deoque  
 Signavere fidem. Caleti obſederat urbem  
 Sub Duce Francigenâ, fatiſ melioribus uſus  
 Auſtriades. Et jam centum æra tonantia flammis  
 Proruerant muros: rupto ſtant aggere contra  
 Hinc Carbo, hinc bellum. Bis vulſis moenia ſignis  
 Adverſæ irrupere acies, bis reppulit illas  
 Fortis avus. Sed enim non uno vulnere feſſæ  
 Deſciant dextram vires: cadit obrutus armis,  
 Victoresque premens proſtrato corpore vincit;  
 Quaque licet, muris ſubeuntem ſubmoveret hoſtem.  
 Parte alia genitor Tarnis dum pugnat ad oram,  
 Albanoque urget clauſos ſub monte rebelles;  
 Principis ante oculos funus laudantis honeſtum,

*De Hofne.*

*Albertus Cardin.*

*Inſidevici XIII.*

Et cœlum pariter miles, martyrque petivit.

Tu quoque claræ inter tot fortia pectora gentis,  
 Illustre exemplum, & memorabile laudis avitæ  
 Nomen eras; nisi te pietas adjungeret aris,  
 Lenibus & studiis rejecto Marte dicaret.

Quamquam hîc bella etiam pugna sine sanguine virtus  
 Sustinuit magnis animis, atque intulit ultro.

Seu cùm impubis adhuc doctâ plaudente coronâ  
 Colligeres sophiæ lauros, & pulvere honesto  
 Sordidus acciperes meritam certamine palmam.

Seu cum immortalis gladio, & cœlestibus armis  
 Instrueres magnam graviora ad prælia mentem,  
 Certa sequens patrum gressu vestigia presso:

Jam tum discebas venturo infringere vires  
 Errori, propriis præludebasque trophæis.

Quis dicat quantas cornu natura benigno  
 In te effudit opes! quantis proventibus auctæ  
 Ingenio crevere tuo! Cum sanguine venit  
 Ducta per immensam seriem comitumque, ducumque,  
 Et dominis etiam terrarum innexa coronis  
 Nobilitas. Titulos atavorum insignibus ornas  
 Ipse tuis: quæque est aliorum gloria major,  
 Hæc in te minima est heroibus esse creatum.

Si dignam imperio speciem vultusque verendâ  
 Majestate graves cœlum dedit: ipse sereno  
 Imperium mollis risu; metuensque timeri,  
 Majestas quod habet fulgur, clementia demit.  
 Nulli difficiles aditus: patet omnibus horis  
 Janua, nec fandi tempus captare necesse est.

Jam quale ingenii robur, quam vivida mentis  
 Fulget ubique acies, quam rebus prona gerendis  
 Dexteritas, quæ consilii fiducia, nunquam

Successu frustrata suo : Prudentia victrix  
 Fortunæ , & casûs , æquâ regit omnia librâ :  
 Ardua quæque aliis , vel desperata videntur ,  
 Explicat , & cursus cogit servare secundos.

Res curare suas facer ordo , patrumque senatus  
 Temporibus duris regali jussit in aula.  
 Plena laboris erat provincia , plena pericli  
 Conciliare pedum scepro , pallatia templis ;  
 Nec civis violare fidem , nec prodere sancti  
 Jura ministerii. Votorum summa fuisset  
 Hæc aliis , tam difficili se calle ferentes  
 Non titubare gradu. Medio in discrimine vadis  
 Intrepidus , regisque , & patrum jura tueris ,  
 Regis apud patres , patrum defensor in aula.  
 Quodque magis mirum est , partes rationibus ambæ  
 Et dixere suis simul , & sensere faventem.

Nec semel hæc perspecta fides , laudataque virtus  
 Solemni in cœtu , quò sacro ex ordine lecti  
 Conveniunt de more patres , cùm publica rerum  
 Cura vocat. Quoties , procerum mirante senatu ,  
 Discordes animos , populisque inimica ferentes  
 Consilia , eloquio & facundæ fulmine linguæ  
 Fregisti ? Quod Volcarum provincia floret ,  
 Quod servat leges & municipalia jura,  
 Quod gemini sperare audet commercia ponti ,  
 Munere quod pacis fruitur , quod regis amore ;  
 Hoc tua sedulitas illi , & prudentia præstat.

Hinc illi plausus , hinc te ad fastigia rerum  
 Sponte suâ ducens favor , & sine crimine prensans  
 Gratia : quæque istos tibi sola petivit honores,  
 Virtutum ambitio , turpis secura repulsæ ,

Præmiaque

Præmiaque exuperans meritis, quæ maxima debet  
Roma tibi, Biturix votis certantibus optat.

## GALLUS NUMIDICUS,

A D V. C.

### HEMERICUM BIGOTIUM.

**I**LLA, vides, cortis dominatrix ales opimæ,  
Cœruleis paleis, minioque ardentia multo  
Colla gerens, cristamque ostentans vana minacem;  
Quæ passu ingreditur per gramina læta superbo;  
Expandensque alas pictæque volumina caudæ,  
Attonitum visu vulgus plebemque minorem  
Territat, & pompa obsequium sibi quærit inani:  
Accola Bætis erat, cui vis invicta Deorum  
Abstulit humanos mutato corpore vultus.  
Digna cani res est: tu dictis adjice mentem

O decus, & nostræ cura Hemerice Camenæ.

Qua propè Getulum, ponti discrimine parvo,

Despectat litus meta Herculis ultima Calpe:

Imperium in populos durum exercebat Alastor,

Geryonis de stirpe satus: sic fama ferebat,

Et mores fecere fidem. Vultu horridus atro,

Nulli aditu facilis: contemnere suetus amorem,

Dum metui sciret: sceptro submittere leges:

Cæterà ventosa melior contendere lingua,

Quam pugnare manu; timidusque lacerare fortis,

Torva virum vix ora ferens. Tamen inclytus armis

Ille celebratur, tanta inconstantia famæ est!

Et volitat longe bello memorabile nomen.

Conveniunt juvenes diversis partibus orbis,

M